24

THESES INAUGURALES MEDICÆ

Quas

DEI Omnipotentis Auxilio

AUTHORITATE & DECRETO

Ampliſſimi Collegii Medici in Univerſitate patria

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA

Honoribus & Privilegiis ſolenni Diſputationi

offert

M. JACOBUS ROTH

Baſilienſ.

Ad diem 13 Octobris MDCLXV.

Horis locoque conſuetis.

BASILEÆ, Typis JOH. JACOBI DECKERI, Academiæ Typographi.

VIRO ingenuo

DN. ALBERTO ROTH,

Integro Fori Aſſeſſori

Patri in ſecula plurimùm honorando

Diſputationem hanc inauguralem

ex

Pio, quo decet, amore

dedicat

JACOBVS ROTH.

THESIS I.

MEDICINA eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam, morboſque profligandos comparata. Fernel. in præfat. in Medicinam. Verba, quæ in Defin. Hipp. lib. de Arte extant, Interprete Jano Cornario, *Et eorum, qui à morbis victi ſunt, curationem non aggreditur*, præterquam quòd Medico Chriſtiano indigna ſunt, meritò reſecantur.

II.

Seminis, maris nimirum & fœminæ, à toto decidui, imprægnatique Spiritu diviniore, quàm ſors eſt Elementorum, magna eſt vis ad *Sanitatem* vel *Morbum*.

III.

Etiam *Sanguinis menſtrui*, immunis à vitiis, quæ vulgò ei tribuuntur, fluentisque ab utero ad motum Lunæ immutabilem, licèt paulò minor.

IV.

Partes enim, quæ Subjectum ſunt Sanitatis & Morbi, pro horum conditione bene vel male naſcuntur, non quidem una ante aliam, ſed omnes ſimul, comparatæ ad munus naturale vel animale, tertium non agnoſco.

V.

Inter illas Cerebrum dignitate præpollet, neceſſitate Cor. Illud namque Mentis arx eſt, & Senſus & Motus Principium. Hoc verò vitæ, calorisque vitalis Fons. Eſſe etiam Sanguificationis Organum, ad Senſum demonſtrari poteſt. Vetus tamen Opinio à veritate usque adeo aliena non eſt, quin defendi poſſit.

VI.

Sciendum autem omnino, Quid ſit *Sanitas*. Id Gal. nos docet de Sympt. lib. 3. c. 1. Inquiens, eſt διάθεσις κτ̀ φύσιν ἐνεργείας ποιητική. *Diſpoſitio omnium corporis partium ſecundùm naturam, actionum naturalium author.* Conſiſtit Diſpoſitio hæc in juſta *temperie* partium ſimilarium, legitima *compoſitione* Organicarum, & utrarumque *unione* & *continuitate*. Potitur corpus noſtrum Sanitate, dum tria iſta manent incorrupta & inviolata: At uno deficiente jam impedimur in functionibus.

VII.

Igitur *Morbus*, è diametro Sanitati oppoſitus, mediatè vel immediatè, prout placet, nihil aliud erit, niſi *Affectus præter naturam actionem totius vel partis uſumve primò & per ſe lædens.* Gal ibid. Diſpeſceturq; rectè in tres ſummas differentias, *Similarem*, *Organicum* & *Communem*, pro triplici illa Diſpoſitione. Non eſt morbi Species, quæ non revocari poſſit ad aliquam trium.

VIII.

Non eſt etiam ulla, quæ non habeat ſuam cauſam; non omnis tamen morbus habet omnem cauſam,

Eviden-

Evidentem, *Antecedentem* & *Conjunctam*, cum ex una eſſe poſſit. *Continentem* dari, quod quidam acriter inter ſe contenderunt, nihil minùs dubito. Sed Num graviores ſint ab Inanitione, vel Repletione, nondum ſum certus. Illud quidem ratum eſt, ab Aëre eſſe acutiores, ab alimentis contumaciores.

IX.

Prægreſſis prodromis iſtis, Morbus in medio conſtitutus, ſuo etiam ſtipatur Satellitio Symptomatum. Symptoma vocatur, definiente Gal. c. 2. citati lib. *Quicquid præter naturam ſe habet*, *excipiendo & morbos & cauſas*. Sunt autem Symptomata vi ipſius morbi producta, ſed non ſequuntur ſemper, ut umbra corpus, nacta parem cum cauſis conditionem, ita quippe inter ſe connexa, ut continuata quadam ſerie unum ex altero manare queat, ab *Actione læſa*, Ἀμετρία *Excretorum*, quæ dein *Qualitates in corpore præter naturam* mutare valet. Læſæ Actionis peculiarem differentiam fieri velim, *Auctam*. *Dolor* ſub nullo genere meliùs quieſcit, quàm Qualitatis p. n. mutatæ.

X.

Signorum vim magnam obtinent, *Pulſus* & *Urinæ*. Hallucinantur ergo, qui ipſis nihil tribuunt, æque atque illi, qui omnia inde cognoſci & præſagiri poſſe putant. Valet tamen Pulſus ad Πρόγνωσιν plùs, minùs Urina: ad Διάγνωσιν contra ſe habent.

XI.

Cæterùm *Salutis* vel *Mortis* certæ prædictiones non ſunt, præſertim in Acutis, Hipp. lib. 2. Aph. 19. Quia *Criſeos* prædictiones interdum fallunt. Ni-

hilominùs *Dies critici* in conſiderationem Medici venire debent. Cauſam ſuam cum Menſibus communicant.

XII.

Mare morborum circa Microcoſmum fluctuat. Sed (Deo ſit laus) longè ditior eſt *Remediorum* penus. Omnium prima & præcipua ſunt , φλεβοτομία & κάθαρσις. Utriusq́ue neceſſitas ſi incidit, à Venæſectione potiùs quàm Purgatione incipiendum. Solennia poſt hæc ſunt *Acidulæ* & *Thermæ*.

XIII.

Cæterorum omnium ſuæ cujusq́ue ſunt quoq́ue laudes, ſeu internè ſeu externè uſurpentur, *Compoſitorum* ſicut *Simplicium*. Statuo enim Compoſitionem medicamentorum neceſſariam.

XIV.

Quin imo *Venena* inter remedia pertinent. Si namq́ue ſine offenſione in Corpore latere poſſunt, ſi nutrire, Quidni etiam remediis admiſceri! cùm etiam in aliorum penuria juvare poſſint. Mirum eſt de Venenis, quòd Cordi ſint infenſiſſima. Falſiſſimum ita parari arte poſſe , ut vel decima die, vel vigeſima, vel quopiam dierum determinato numero interimant.

XV.

Verum enim verò non quodvis remedium cuivis morbo competit, nec quavis quantitate, nec quovis utendi modo. Quocirca *Methodo Medendi* opus eſt, quæ doceat iſta. Utendi modus non ita facilis eſt, præſertim ratione Occaſionis, præcipitis admodùm. 1. Aph. 1. Multò difficilior Quantitas, ut deſperet

Gal. 3.

Gal. 3. Ther. method. c. 3. dici, ſcribi, imo percipi poſſe. Remedii genus inventu facillimum; Nam morbus per contraria averruncandus.

XVI.

Ratio & *Experientia* ſunt veluti duo crura artis ujus. Illa, ut ab Experientia recedit, Indicationius utitur, tanquam maximè neceſſariis Medico dogmatico. *Analogiſmi* rarus eſt uſus.

XVII.

Inter artis præſidia, *Apoplexiæ* Venæſectio conenit.

XVIII.

Convenit etiam Puerperæ ex *pleuritide* laboranti, ochiis ritè manantibus.

XIX.

In *Dyſenteria* Purgatio prodeſt.

XX.

In *Variolis*, de quarum cauſa adhuc dubito, mimè.

XXI.

In *Calculo* Anodyna laxantia & emollientia, plunùm poſſunt. Nihil Lithontriptica. Parùm Diuica.

XXII.

Podagræ Thermæ ſulphureæ & nitroſæ benefant.

XXIII.

Sanitatem quod concernit, non ſemper conſervanda

vanda uſu ſimilium ; admittit enim etiam medicamenta, Theriacam v. g. Præcipuum ejus conſervandæ præceptum eſt illud Divini Senis, *Non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem.*

XXIV.

Vita tamen nec optima vivendi lege, nec convenientiſſimo remediorum uſu poteſt prolongari, ſed ſtato die, quem Deus dixit, moriendum.

DEO SIT HONOR ET GLORIA
IN SEMPITERNA
SECULA.